

non hic desiderabit de rei tante inquisitione sermonem. Inter cetera ergo in libro decimo diximus. hominis mentem nosse semetipsam. Nichil enim tam nouit mens. quam id quod sibi presens est. Nec mentis magis quicquam presens est. quam ipsa sibi. Et alia facis quantum visum est adhibuimus documenta. quibus hoc certissime probaremus. **¶ Cap. v**

**Q**uid itaque dicendum est de infantis mente. ita adhuc paruuli. et in tam magna demersi rerum ignorantia. ut illius mentis tenebras. mens hominis que aliquid nouit. exhorreat. si an etiam ipsa se nosse credenda est. sed intenta nimis in eas res quas per corporis sensus. tanto maiore quanto nouiore cepit delectatione sentire. non ignorare se non potest. sed cogitare se non potest. et quanta porro intentione in ista que foris sunt sensibilia feratur. vel hinc solum conici potest. quod lucis huius habundantia sic auda est. ut si quisquam minus cautus aut nesciens quid inde possit accidere. nocturnum lumen posuerit ubi iacet infans in ea parte ad quam iacentis oculi possunt retorqueri. nec ceruix possit inflecti. Sic eius inde non remouetur aspectus. ut non nullos ex hoc etiam strabones fieri nouerimus. eam formam tenentibus oculis. quam teneris et mollibus consuetudo quodam modo infigit. Ita et in alios corporis sensus quantum simit illa etas intentione se quasi coartat. anime paruulorum. ut quicquid per carnem offendit aut allicit. hoc solum abhorreant vehementer aut appetant. sua vero interiora non cogitent. nec possint ammoneri ut hoc faciant. quia nondum ammonentis signa nouerunt. ubi precipuum locum verba obtinent. que sicut alia profus nesciunt. Quod autem aliud sit non se nosse aliud non se cogitare. iam in eodem volumine ostendimus. Sed hanc etatem omittamus. que nec interrogari potest quid in se agatur. et nos

ipsi eius valde obliuisci sumus. hinc tantum certos nos esse suffecerit. quod cum homo de animi sui natura cogitare potuerit. atque inuenire quod verum est. alibi non inueniet. quam penes seipsum. inueniet autem non quod nesciebat. sed unde non cogitabat. Quid enim scimus si quod est in nostra mente nescimus. cum omnia que scimus. non nisi mente scire possuimus. **¶ Cap. vi**

**T**anta est tamen cogitationis vis. ut nec ipsa mens quodam modo se in conspectu suo ponat nisi quando se cogitat. ac per hoc ita nichil in conspectu mentis est. nisi ubi cogitat. ut nec ipsa mens que cogitat quicquid cogitat. aliter possit esse in conspectu suo. nisi seipsum cogitando. Quomodo autem quando se non cogitat in conspectu suo non sit. cum sine ipsa nunquam esse possit. quasi aliud sit ipsa aliud conspectus eius. inuenire non possumus. hoc quippe de oculo corporis. non absurde dicitur. Ipse quippe oculus loco suo fixus est in corpore. aspectus autem eius in ea que extra sunt tenditur. et usque in sidera extenditur. Nec est oculus in conspectu suo. quando quidem non conspiciat seipsum nisi in speculo obiecto. ubi iam loqui sumus. Quod non sit. utique quando se mens in suo conspectu sui cogitatione constituit. Nunquid ergo alia sua parte. aliam partem suam videt. cum se conspiciat cogitando. sicut aliis membris nostris qui sunt oculi. alia membra nostra conspiciamus. que in nostro possunt esse conspectus. quod dici absurdius vel sentire potest. unde igitur aufertur mens nisi a seipsa. et ubi ponitur in conspectu suo nisi ante seipsam. et non ergo ibi erit ubi erat. quando in conspectu suo non erat. quia hic posita. inde sublata est. Sed si conspicienda migrabit. conspectura ubi manebit. an quasi geminatur ut et illic sit. et hic. id est et ubi conspiciere. et ubi conspici possit. et in se sit conspiciens ante se conspiciua nichil horum nobis veritas consulti respondet. quoniam quando